



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

iv. De suffragijs Ecclesiae, quibus excommunicatus priuatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

exire, sine nota illius excommunicati. Si ergo alij tenentur seruare famam illius excommunicati, etiam ipsemet tenetur, vel ad minus licitum est ipsi excommunicato, propriam famam indecentem conseruare. Tenetur tamen vnusquisque in tali euentu diligenter animaduertere, an alia via infamiam, & scandalum vitare possit, probabilem aliam excusationem sine mendacio causando; quando enim id commode fieri potest, cessat causa & necessitas communicandi, celebrandi, aut Officij Diuinis interfendendi, & de Officij Diuinis excommunicatio, prohibitis haftenus dictum sit.

De Suffragijs Ecclesiae, quibus excommunicatus priuatur. Cap. IV.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicatio maior hominem suffragijs Ecclesiae Catholicae priuat.
- 2 Suffragia Ecclesiae, eorumque valor, in quibus consistat.
- 3 Suffragijs Ecclesiae priuatus triplex incommodum incurrit.
- 4 Missam, & alias orationes an pro excommunicatis offerre liceat.
- 5 An peccatum mortale sit orare pro excommunicatis denunciatis in orationibus publicis Ecclesiae, & an eiusmodi orationes profint.
- 6 Sacerdos Missam offerens pro excommunicato non denunciato, contrito, non peccat.
- 7 Ecclesia, quare in Officio Missae Feria Sextae hebdomadae Sancta pro haereticis orat.
- 8 Ecclesia, quare eo die excommunicatorum mentionem non faciat, sicut Paganorum, Iudaeorum, & Haereticorum meminit.
- 9 In Memento, quod fit in Missa, an pro excommunicato denunciato orare liceat.
- 10 Excommunicatus denunciatus sic moriens, sepultura Ecclesiastica caret.
- 11 Excommunicatus denunciatus in loco sacro sepultus, inde ei, & excommunicari debet.
- 12 In Ecclesia, vel Cemeterio pollutis, antequam reconcilientur, nec Officia diuina cantari, nec fidelium corpora sepeliri possunt.
- 13 Excommunicatus denunciatus moriens, etiamsi signa contritionis dederit, ante absolutionem tamen, in loco sacro sepeliendus non est.

Tertius effectus Excommunicationis maioris est, quod hominem suffragijs Ecclesiae Catholicae priuet. Suffragia vero Ecclesiae intelliguntur illa bona spiritualia, quibus Ecclesia Christianorum animabus subuenit, & suffragatur. Quae bona in duplici sunt differentia; Quaedam enim sunt publica, quaedam priuata. Publica dicuntur ea, quae sunt à Ministris Ecclesiae, prout Ecclesiae Ministri sunt, vt Hora Canonica, Missae Sacrificium, Orationes, Indulgentiae, quas Ecclesia pro fidelibus dicit, & eis distribuit. Priuata vero sunt illa, quae fideles vt personae priuatae, & non vt Ecclesiae Ministri exercent, vt sunt orationes priuatae, ieiunia, & elemosinae.

Rursus Suffragiorum Ecclesiae valor ex duobus consideratur, Primo vel ex vnione charitatis quae fideles omnes connectit, vt sint omnes vnum corpus in Christo capite; de qua vnione dicitur in Symbolo, *Sanctorum communionem*; charitas enim facit omnia bona & Suffragia Ecclesiae communia esse; haud secus, ac operatio vnus membri in corpore naturalis, in totius corporis commodum, & vtilitatem redundat. Vel secundo, ex animo, intentione & applicatione operantis, vt pluribus tradunt S. Tho. in addit. 3. p. q. 7. art. 1. Palud. 4. d. 45. art. 1. Adrian. Quodlib. 8. art.

3. litera C. Couar. in c. alma mater, 1. p. §. 6. num. 1. de sent. excom. lib. 6. Excommunicatio maior illa prima communicatione, & illo valore suffragiorum, quae à charitate procedunt, non priuat, eum illo valore prius per peccatum mortale priuatus fuerat, cuius causa excommunicatus fuit; vt de nec iniuste excommunicatus illo valore priuatur, ex Summa Astenfis, in 2. par. ti. 9. lib. 7. quæst. 2. Nauar. in Manual. c. 27. num. 18. Couar. vbi supra, num. 2. & nos superiori libro, capit. 17. latius exposuimus. Quando igitur excommunicatus Ecclesiae suffragijs priuatum esse auctores affirmant, de illa solum suffragiorum generalium Ecclesiae communiōe intelligendi sunt, quae ab Ecclesiae Ministris aut generatim pro tota Ecclesia, aut speciatim pro aliquo eiusdem membro offeruntur, ex eo scilicet, quod Ecclesia communia sua suffragia excommunicato tali applicare non intendit, nec pro illo orare, qui iam abscissus ab Ecclesia est. Sic Magister, 4. d. 18. nō longè a fine, S. Th. in addit. 3. part. q. 2. art. 1. ad secundum, & Opu. 6. in illam partem Symboli (*Sanctorum communionem*) in fine. Gabr. 4. d. 18. q. 2. artic. 3. dub. 1. Palud. 4. d. 18. q. 1. artic. 1. Conclus. 2. Summa Astenfis, 2. par. lib. 7. tit. 9. quæstio. 2. Angelica, verbo excomm. vlt. num. 3. Sanctus Anton. 3. par. tit. 24. c. 76. Tabiena, verbo, excomm. 1. vers. Quarto Syluest. verbo, excomm. 3. vers. Secundo Martin. Ledesma. 2. 4. q. 2. art. 1. Sotus 4. d. 22. q. 1. art. 1. vers. Quomodo autē, Nauar. in Manuali, c. 27. num. 18. & cap. 20. de orat. & horis Canon. nu. 67. Couar. in c. alma mater, 1. par. §. 6. num. 3. Henriquez lib. 1. de excom. cap. 1. §. 4. Vgol. de cens. Eccles. Tab. 2. c. 9. §. 1. Et præter tot Doctorum auctoritates, ratio est; quia cum excommunicatus sit extra Ecclesiam, eiusque membrum non sit, (vt nouissime declarauit Catechismus Romanus, in explicatione illius patris Symboli, *Credo Sanctam Ecclesiam* vbi post multa addit, *Ex quo sit, vt tria tantummodò hominum generà ab ea excludantur, primo Infideles, deinde Haereticos, & Schismaticos, postremo Excommunicatos, & hoc ob eam rationem, quam inferius Catechismus reddit, his verbis Quoniam Ecclesia iudicio ab ea exclusi sunt, & ad illius communionem non pertinent, donec resipiscant, consequenter suffragia Ecclesiae quae communia sunt membris tantum illius, excommunicatis ex Ecclesiae intentione, & applicatione non profunt, ex communi omnium sententia, quicquid Hostiensis in c. cum voluntate, de sent. excom. & Summa Confessor. lib. 3. tit. 3. q. 1. 59. contra dicant, vt Couar. vbi supra, num. 2. vers. Tertia Conclusio, refertur, hinc in hoc libro non minus.)*

Hinc inferitur quod hoc ipso, quòd quis suffragijs Ecclesiae priuatur, triplex incommodum incurrit, per tria quae quis ex suffragijs Ecclesiae consequitur, valent enim ad augmentum gratiae eis qui gratiam habent, vel ad mercedum gratiam eis, qui non habent, & quoad hoc, Magister 4. d. 18. dicit, quod gratia Dei per excommunicationem subtrahitur. Valent etiam ad custodiam virtutis, & quantum ad hoc dicit, quod protectio subtrahitur, nō quòd omnino à Dei prouidentia excludantur sed ab illa protectione qua filios Ecclesiae specialiori modo custodit. Valent denique ad defendendum ab hoste, & quantum ad hoc dicit, quod Diabolo maior potestas seuienti in ipsum datur, & spiritaliter, & corporaliter. Vnde in primitiua Ecclesia, quando oportebat homines per signa ad fidem inuitari, sicut visibili signo domum Spiritus Sancti manifestabatur, ita & excommunicatio vexatione corporali a Diabolo innotescebat, vt post S. Thom. in addit. 3. part. q. 2. art. 2. ad 2. Dionys. Cartusian. 4. d. 18. quæst. 4. ver. Denique si quæretur Angelica, verbo, excomm. vlt. nu. 3. Syluest. verbo, excomm. 3. vers. secundo. Summa Astenfis, 2. par. lib. 7. tit. 9. q. 1. Couar. in c. alma mater, 1. p. §. 6. num. 3. vers. Quarta Conclusio, de sent. excom. lib. 6. Vgol. de cens. Eccles. Tab. 2. c. 9. §. 4. num. 2. & alij scribunt.

Dubium tamen est, cum dicatur excommunicatum priuari Ecclesiae suffragijs generalibus, an liceat Missam, aut alias orationes pro excommunicatis offerre? Cui dubitationi respondent Doctores communiter, non licere orare pro eis, nec nominatim, nec generaliter, nec specialiter ad hunc sensum, quod oras vt Minister Ecclesiae, preces eiusdem Ecclesiae, & sacrificia pro excommunicato denunciato

ciatio (vi) sunt omnes orationes Missarum, & horarum Canonis ex Nau. de orat. & hor. Can. cap. 19. num. 67. & Vgolin. de cens. Eccles. Tab. 2. cap. 9. §. 3. offerre intendat. Quia faceret contra intentionem Ecclesie, que intendit sic communicatum omni modo quo potest suis auxilijs priuare. Et quia Missas & eius orationes solu pro Ecclesie membris dicuntur. Et quia sicut passio Christi non habet effectum, nisi in ijs, qui fide, & charitate ei vniti sunt ita nec Missa Christi passionem representans ex S. Tho. 3. par. quest. 79. art. 7. ad 2. Et quia, si liceret orare pro excommunicato, etiam in genere, non plus priuaretur suffragijs excommunicatus, quam alius quicumque fidelis, quem non nominat orans in suis orationibus, & sacrificijs, quod & falsum est, & contra communem, & antiquatum vsu Ecclesie, vt colligitur ex cap. 6. a nobis, 1. & cap. Sacris, de sent. excommuni. & expresse docent S. Thom. 3. par. quest. 79. art. 7. ad 2. & addit. 3. par. quest. 21. art. 1. ad 2. in fine. Summa Hostiensis, lib. 5. tit. de sent. excommuni. num. 17. vers. sed nunquid Summ. Athenis. 2. par. lib. 7. tit. 9. quest. 3. & Gabr. 4. dist. 8. quest. 2. art. 3. Martin. Ledesm. 2. 4. q. 23. art. 1. Sorus 4. dist. 22. quest. 1. art. vers. Quomodo autem. vbi ait, quod si Rex, aut Episcopus esset excommunicatus, non esset nominandus in Canone Nauarr. de orat. & hoc Canon. cap. 9. num. 67. Couar. in cap. alma mater, 1. par. §. 6. num. 4. vers. Quarta Conclusio, de sent. excommuni. lib. 6. Henriquez lib. 13. de excommuni. cap. 11. §. 5. & Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 2. cap. 9. §. 2. num. 1. Francisc. Suarez de Sacram. 3. par. disp. 7. sect. 2. in fine. Vnde falsu dicit Marian. Socin. sen. in cap. sacris, num. 142. de sent. excommuni. licitum esse orare pro excommunicatis viuentibus oratione generali, prout in quibusdam facit Ecclesia, & offert pro hoc ca. Non est innotus, 13. quest. 2. sed tales neque enim ibi agitur de oratione facienda pro excommunicatis, neque pro viujs, sed pro mortuis, qui dum viuere, meruerunt, vt sacrificia pro illis oblati prodesse ipsis poterant.

5 Dubium etiam esse potest, An sit peccatum mortale orare pro excommunicatis denunciatis in orationibus publicis Ecclesie, & an ceteras orationes profint? Martin. Ledesm. 2. 4. quest. 23. art. 1. dubitat, quia forte in quibusdam Ecclesijs prohibetur, qua prohibetur ne quis orat publica oratione pro excommunicato denunciato, non est preceptiuu, & S. Thom. in addit. 3. par. q. 21. art. 1. ad primum solum ait, non esse orandu pro illis suis orationibus istis ad Deu, que sunt pro membris Ecclesie, sed bene alijs orationibus: & non dicit quod sit peccatum mortale. Sylu. etiam verbo, excommuni. in principio, ait quod male facit, qui orat pro excommunicato communitibus orationibus, non tamen explicat an male faciat mortaliter. Ceterum, videndum est, peccatum esse mortale, quia facit contra Ecclesie preceptum, vt habetur in cap. A nobis, 2. & c. factis de sent. excommuni. & in Extrinag. Ad euitanda scandala. & quia res hac gratis est, grauius peccat in eo, quod preceptum Ecclesie transgreditur, & ita docet Henriquez, in 2. de Missa, cap. 15. §. 3. literal. in annot. post Nau. in Man. cap. 27. num. 36 ad 5. An vero Missa, & alijs orationes pro taliter excommunicato facte, profint, necne; licet aliqui dubitent, tamen hac distinctione facile concordari possunt auctores. Si enim sic excommunicatus contumaciter manet in mora culpabili petendi absolutionem, aut inducendo aliquem, vt pro eo Missam celebraret, peccat, & eum est, nihil illi prodesse, quo modo vera est sententia Innoc. in cap. A nobis, 1. de sent. excommuni. Adrian. in 4. tractat. de Clauib. dub. 3. principalib. sine. & Socin. 4. dist. 22. quest. 1. artic. 1. vers. Attamen dubium est, & Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 2. c. 9. §. 2. & aliorum, qui ante obtentam absolutionem, Missam, aliasque orationes Ecclesie, nihil eis prodesse putant, sicutque esse censent, quod Ecclesia ob culpam preteritam eos suis suffragijs priuauerit; sin vero contritus sit, & ipsum contumaciae poeniteat sua, diligenterque absolutionem procuret, paratus quicquid est in se facere, probabilius est haec iusto, orationes illas etiam ad satisfactionem prodesse, ex pia matris Ecclesie intentione, que non intendit filios obediens, & poenitentes huiusmodi orationibus & suffragijs priuare. Sic Summa Athenis, 1. part. lib. 7. tit. 9. quest. 2. Rich. 4. dist. 18. artic. 7. quest.

3. Hostiensis in c. cum voluntate, de sentent. excommuni. S. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 76. In trece. in cap. si quis Episcopus, 1. 1. quest. 3. Nauar. de orat. & hor. Canon. cap. 19. num. 68. Couar. in c. Alma mater, 1. par. §. 6. num. 4. vers. Non Conclusio, de sentent. excommuni. lib. 11. vbi ait, hoc esse communiter receptum, Henriquez lib. 9. de Missa, tit. 5. §. 3. in annot. litera P. & lib. 13. de excommuni. cap. 11. §. 2. & cap. 12. §. 3. Dum tamen Sacerdos generaliter intentione offert pro omnibus, non censetur illicitu contra prohibitionem Ecclesie pro excommunicatis huiusmodi offerre velle.

6 Vnde multo magis, si Sacerdos sponte Missam offerat pro contrito excommunicato non denunciato, prodest ei, cum sit membrum viuum, ac filius iam obediens, ac subinde in eo cessat tota causa huius pena, qua erat in obediencia; vel etiam si amicus aliquis data stipe pro eo offerri ea faciat. Nec peccat si offerens etiam pro non contrito, non denunciato, quia Conciliu Constantiense, vt habetur in Extrinag. Ad euitanda scandala, indulget, vt liceat participare in facris, & Sacramentis, cum huiusmodi excommunicatis. Neque obstat quod idem Conciliu ait, *nolle se in aliquo excommunicatis ipsis suffragari*, vt proinde nec licite possit quispiam pro excommunicatis non denunciatis offerre. Respondetur enim, hoc non tam esse in fauore ipsius excommunicati, quam in obsequium & fauorem Sacerdotis offerentis qui stipem accipit pro Missa celebratione, & etiam meretur, dum pro sic excommunicatis non denunciatis offert, pro quibus offerre non prohibetur, vt Henriquez lib. 13. de excommuni. cap. 11. §. 2. in annot. litera K. erudite annotauit. Immo etiam pro excommunicato qui nec notorius, nec denunciatus est, publice orari posse docet Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 2. §. 2. numer. 3. pro qua etiam refert Ioan. Bapt. Antonucium in Catechesi Neapolitana, cap. 15. vers. 7. lib. 5.

7 Altera difficultas esse potest, quae ratione fiat, vt Ecclesia in officio Missa ferie sextae hebdomadae Sanctae, pro hereticis orat, cum sint iure excommunicati, cap. excommunicatus, 1. & 2. de here. & in Bulla Gen. Hinc nonnulli, vt Hostiensis, in cap. cum voluntate de sent. excommuni. & Ioan. de Friburgo, in Summa confess. lib. 3. tit. 3. quest. 1. §. 9. & alij respondent, non posse nisi specialiter pro excommunicatis orare, sed tantum generaliter quo modo Ecclesia tunc pro hereticis orat. Quae responsio falsa est, ut quia nec generaliter applicari possunt orationes Ecclesie iuste & legitime excommunicatis, tum quia Missa, & eius orationes, non nisi pro membris Ecclesie dicuntur, & Christus passus, & cum non habet, nisi in ijs qui fide & charitate vniti sunt, ergo nec Missa Christi passionem representans, vt docet S. Thom. 3. par. quest. 79. art. 7. ad 2. quae ratio, quae valet de Missis generaliter, & specialiter, pro excommunicatis dicitur. Alij respondent, quod tunc tempore quo Ecclesia cepit publice pro hereticis in feria sexta hebdomadae Sanctae orare, non erant illi ipso facto excommunicati, arg. capit. corripiantur, 24. quest. 13. & licet postea excommunicati sint ipso iure, remansit tamen ea oratio forte ex inaduertentia: Quae responsio non minus falsa est, quam superior, cum enim quotannis Ecclesia oratione praedicta vtiatur non est tante incuriae nota Ecclesie, quae a Spiritu sancto regitur, inuenda; maxime cum Officium illiusmodi a Pio V. approbatum sit. Hinc alij, vt Nauar. de orat. & hor. Canon. cap. 19. num. 71. Couar. in cap. alma mater, 1. par. §. 6. num. 3. vers. Ex quolibet obiter, de sent. excommuni. lib. 6. & Viguerius in Institut. cap. 16. §. 6. vers. 15. respondent, Ecclesiam eo die pro hereticis sicut pro paganis, & Iudaeis orare, non quidem orationibus pro membris Ecclesie institutis, sed alijs, quae pro exterius, & ab vnione Ecclesie alienis instituta sunt, vt Deus dignetur eos ad Ecclesiam vnitate & poenitentiam reducere secundum ea quae tradunt S. Thom. in addit. 3. par. quest. 21. art. 1. ad 1. & Turrecem. in cap. si quis Episcopus, 1. 1. quest. 3. & Sylu. verbo, excommuni. 1. & verb. oratio, quest. 4. Quae responsio non placet Vgolino vbi supra Tab. 2. cap. 9. §. 2. num. 2. & merito, quia licet instituta sint orationes illae pro hereticis, tamen recitantur a Ministris Ecclesiae eo die, & in eo officio publice, quatenus ministri sunt,

funt, quod prohibetur in cap. A nobis, 1. & cap. ſacris, de ſent. excommuni. Vnde verior reſponſio eſt, quod in die Paraſceves, ipſa Eccleſia eſt quæ orat pro hereticis, & alijs adeo, ut ipſa quæ prohibet alio tempore Miſſam, & orationes pro illis offerri a ſuis miniſtris, eo die prohibitionem illam ſuſpenderit: id quod Eccleſia pro ſua auctoritate facere poteſt: ita Sotus, 4. d. 1. qu. 2. art. 7. ad 2. & 4. diſt. 22. qu. 2. artic. 1. dub. 1. verſ. Quomodo autem; & Vgol. loco proxime allato. Ratio autem cur eo die pro hereticis & paganis miniſtros ſuos orare voluit Eccleſia, ut reſertur Dura, lib. 6. Rational. diſt. offic. cap. 77. num. 12. poſt Rich. 4. d. 13. artic. 2. quaſt. 4. ea eſt: quia eo die repræſentatur ab Eccleſia paſſio Chriſti, & memoria mortis eius, prout erat in ſe: in qua paſſione ſicut Chriſtus pro inimicis ſuis oravit, & ſanguine ſuo pro omnibus ſuſcepit, ita Eccleſia, ut ſponſum ſuum imitaretur, & ſimilem meritorum paſſionis eius ad omnes pertinere ſignificaret, ex ſua parte, & pro hereticis qui a Chriſti fide deſecerunt, & pro infidelibus alijs, qui nunquam fidem Chriſti receperunt, a ſuis miniſtris orari voluit.

8. *Illud tandem obiter annotandum eſt, quod licet eo die Eccleſia pro Paganis, Iudeis, & Hereticis orat, non tamen excommunicatorum mentionem facit, ſub ipſo ſententia excommunicationis nomine, vel quia ut ait Sotus, 4. d. 2. qu. 1. artic. 1. dub. 1. verſ. Quomodo autem; eos illa hora ad hunc effectum ab excommunicatione abſolvere, ſeu ſuſpendere cenſetur: vel ut hac ratione, quantum deſertant, diſt. ſint excommunicati, offendat, quos nec nominandos eſſe a fidelibus voluit. Hinc S. Bernardus tract. de gradibus humilitatis, in fine, loquens de excommunicatis, ait, *Absit autem a nobis ut citam pro talibus veſi palam non praſonimus, vel in cordibus noſtris orare ceſſemus; cum Paulus eos quoque lugeret, quas ſine penitentiâ mortuos ſcribit. Eſt enim a communibus orationibus ipſi ſe excluſi: ſed ad affectibus omnino non poſſunt, viderint tamen in quanto periculo ſint, pro quibus Eccleſia palam orare non audeat, quæ ſidenter etiam pro Iudeis, & Hereticis, & pro gentibus orat. Cum enim in Paraſceve nominatim oratur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis.* Hæc S. Bernardus.*

9. *Quæres, An licitum ſit ſaltem in Memento, quod ſit in Miſſa, orare pro excommunicato denunciato? Sotus in 4. diſt. 22. quaſt. 1. art. 1. verſ. Quomodo autem; eſt dubium in hac re: Ledesmi in 2. 4. quaſt. 23. art. 1. dub. vi. expreſſe negat licere, quia tempus illud particulare datur Sacerdoti, ut orat tantum pro ijs, pro quibus intendit Eccleſia, intendit autem Eccleſia tantum pro ijs, qui ſunt in ſua Eccleſia, verior tamen opinio docet id licitum eſſe, quia illud videtur eſſe oratio priuatim facta, datur enim illud tempus Sacerdoti ut orat pro quibus velit. Sic Hoſtienſis in Summa libr. 5. tit. de ſent. excommuni. numer. 77. verſic. ſed nunquid, ubi ait, *Si in Memento recogites de aliquo amico tuo, excommunicato, & ores, ut Deus inſpiciat ſibi gratiam, ita quod convertatur, non reprobo, nec propter hoc dicam te excommunicato participare: ſed opus charitatis potius exerceat, & voluntatem Dei facere, qui neminem vult perire;* & Summa Aſtenſis, 2. par. lib. 7. ut. 9. quaſt. 3. Sylveſt. in verbo, excommuni. 1. numer. 2. & verbo, Miſſa, 1. quaſt. 8. verſ. Quartum. Tabiena, verbo, excommuni. 1. verſ. Quarto, in fine. Navar. de orat. & hor. Canon. c. 19. num. 73. quo in loco latius de hac re tractat Couar. in capitul. alma mater, 2. par. 8. 6. verſ. Septima Concluſio, de ſent. excommuni. libr. 6. Henríquez libr. 13. de excommuni. cap. 1. §. 3. Vgol. de cenſ. Eccleſ. Tab. 2. cap. 9. §. 3. Simon. Maiol. de irreg. libr. 3. capit. 23. numer. 31. Franciſc. Suarez de Sacram. Diſput. 78. Sect. 2. in fine. Qui omnes ea ratione id licitum eſſe docent, quod Sacerdos tunc orat ut priuatus, non autem ut Miniſter Eccleſiæ, & a fortiori poterit quilibet Chriſtianus priuata oratione pro excommunicatis licite facere ut convertantur, & redeant ad Eccleſiam per humilem penitentiam, a qua præciſi ſunt per excommunicationem. Sic S. Thom. in addit. 3. part. quaſt. 21. art. 1. ad 1. & 2. Richard. 4. d. 18. art. 7. q. 3. ad 3. Gabr. 4. d. 18. q. 2. art. 3. & alij omnes ſuperius allati.*

10. *Neque ſolum ſic excommunicatus denunciatus Eccle-*

ſiæ ſuffragijs cæter, ut diximus, ſed etiam Eccleſiaſtica ſepultura caret, ſi excommunicatus decedat, ut habetur in cap. ſacris, de ſepul. & DD. ibi Hoſtienſis in Summa, libr. 5. tit. de ſepul. num. 4. verſ. Quibus interdicitur. Summa Aſtenſis, 2. par. lib. 7. tit. 9. quaſt. 4. S. Antonij, 3. par. tit. 24. c. 76. verſ. Decimoſextimo, & verſ. Decimoſextimo. Angelica verbo, excommuni. vit. num. 2. Sylveſt. verbo, excommuni. 3. verſ. 20. & verbo, ſepultura, verſ. Decimo, Tabiena, verbo, excommuni. 1. verſ. Decimoſextimo, Gab. 4. d. 18. quaſt. 2. artic. 3. Marian. Socin. ſen. in cap. ſacris, num. 137. Navar. in Man. cap. 27. num. 23. ver. Decimoſextimo; & num. 36. ver. Ad ſecundum, & num. 37. ver. Declaratio prima, & tom. 5. conſ. conſ. 13. num. 3. de penit. & remiſſ. & Henríquez libr. 13. de excommuni. cap. 7. §. 2. & cap. 11. §. 3. Vgol. de cenſ. Eccleſ. Tabul. 2. cap. 9. §. 5. & facit cap. conſultatio, de conſecr. Eccleſ. vel altar. & ca. Ad hæc, de privileg. & cap. Episcoporum, de privileg. libr. 6. & Clem. eos qui ce ſepul. vnde, nec in cæmeterio rite, ac ſolemniter ad ſepul. turæ vſum ab Epifcopo conſecratis, aut in Eccleſia conſecrata, aut etiam non conſecrata, dummodo in tali Eccleſia non conſecrata Diuina officia facta ſint ſicut hæc eſt, demum, quo Eccleſia conſecrata vſitur, arg. cap. penult. de immuni. Eccleſ. & cap. fin. de conſecr. Eccleſ. vel altar. publice denunciatus excommunicatus ſepeliri poteſt. Qui verò ſic excommunicatus ſepelitur, ſive religioſi exempti ſint, ſive Laici & ſeculares, eoſque ingreſſum Eccleſiæ ſibi interdicitum habent, donec ſatisfecerint de contemptu, ut habetur in cap. Episcoporum, de privileg. libr. 6. & reſtatur gloſ. in cap. 5. qui, in verbo, Nodatis, de ſent. excommuni. libr. 6. & etiam excommunicationem maiorem ſcienter ſepelientes incurrunt, ut habetur in Clem. de ſepul. & gloſ. ſibi, in verbo, ſcienter, & Anchar. in principio, verſic. Secundo not. & Zabar. eod. in initio, ſecus autem ſi id, vel iure prohibitum ignorauit, aut quem ſepeluit, abſolutum probabiliter exiſtimauit; cum temeritatis audacia, & ſcientia in ſepeliente, ut hanc penam incurrat, requirantur; Sicut nec dictas penas incurrunt, qui taliter excommunicatos in agris, aut locis profanis ſepelunt, etiam ſi locus ille Eccleſia, vel Cæmeterio vicinis & contiguus ſit, ut docent gloſ. in Clem. 1. in verbo Cæmeterijs, de ſepul. Navar. in Man. cap. 27. num. 37. & Vgol. de cenſ. Eccleſ. Tab. 2. §. 5. num. 1. Henríquez libr. 13. de excommuni. cap. 11. §. 3. in annot. lit. M. Artil. verbo, excommuni. caſu 43. Gard. in d. Clem. 1. quaſt. 3. Neque eam incurrit, qui talem ſepeluit in loco aucto, quando auctum eſt Cæmeterium non in reſcedente Epifcopi auctoritate; cum pars illa aucta, ut Henríquez, & Vgol. poſt Anchar. in dicit Clem. 1. num. 4. de ſepul. tradunt, verè ſepultura Eccleſiaſtica non ſit; ex quo neque conſecrata eſt; neque ad ſepul. a ſuperioris auctoritate deſtinata. Quare merito Panorm. ſententia in cap. ſacris, nu. 2. quam etiam amplectatur eſt Marian. Socin. in dicit cap. ſacris, num. 157. de ſent. excommuni. elijcenda eſt; quæ habet, ſic excommunicatus non ſolum in Cæmeterio ſepelendus non eſt; ſed neque in loco qui Cæmeterio, aut Eccleſiæ adeo contiguus & vicinus eſt, ut inde deſcribitur tantum voces audiri poſſint, arg. cap. Quod in te, de penit. & remiſſ. & Ioan. Andr. in cap. ſacris, de ſepul. Et enim, ſententia hæc nullo modo ex illis locis edigi poteſt, cum excommunicatus ibi non ſepeliatur, ut diuina audiat, vel audit poſſit.

11. *Quod ſi forte in Cæmeterio, aut alio loco ſacro & conſecrato excommunicatus aliquis ſepultus fuerit, inde eiſci & extumulati debent oſſa eius, ut in d. cap. ſacris, habetur, dummodo eius oſſa ab oſſibus fidelium ſeparari & diſcerni poſſint, d. cap. ſacris & gloſ. in cap. Quicumque, in verbo, extumulenti, de heſt. libr. 6. aliter non; quia minus malum eſt quod in cæmeterio remaneant oſſa excommunicatorum, quam quod inde eiſciſantur corpora fidelium. Cæmeteria verò in quibus excommunicati ſepulti ſunt, polluta ſunt, vnde poſtquam ipſorum excommunicatorum cadauera, aut oſſa exhumata, & eiſciſa fuerint, & concilianda ſunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ut habetur, cap. conſultatio, de conſecr. Eccleſ. vel altar. & cap. vnic. titu, cod. libr. 6. Durand. libr. 1. ration. diuin. offic. cap. 6. num.*

num. 42. & 44. Angelica. verbo, Consecratio, 2. nu. 6. Sylu. verbo, eod. 2. nu. 3. Marian. Socin. in cap. factis, num. 47. de sentent. excommuni. ubi obiter ex præfatis auctoribus advertendum est, & habetur, in cap. vnico, de consec. Eccles. vel altar. lib. 6. quod si excommunicatus aliquis in Ecclesia sepultus sit, non solum Ecclesia polluta erit, sed etiã Cæmeterium illi contiguum pollutum erit, cum accessorium eius, ad quod accedit, naturam sequitur, cap. accessorium, de reg. iur. lib. 6. pollutio tamen cæmeterij ecclesie non polluit licite conigua existat, vt in d. cap. vnico, Bonifacius Papa VIII. definitur.

32 In Ecclesia autem, vel Cæmeterio sic pollutis, antequam reconcilientur, nec officia Diuina cantari, nec fidelium corpora se polito possunt, vt præfati scriptores testantur; reconciliata verò Ecclesia polluta, reconciliatum censetur cæmeterium illi contiguum, ex Gem. in d. cap. vnico, de consecrat. Eccles. vel altar. lib. 6. num. 5. Philip. Franc. ibid. & Archid. & Ioan. Andr. & communiter ibi DD. & Paul. Fufc. lib. 2. de visit. & regim. Eccles. cap. 25. num. 10. quos refert & sequitur Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 2. cap. 9. §. 5. num. 4. Qui verò ante reconciliationem Ecclesie sic polluta in ea officia diuina celebrant; licet grauius peccent, irregulares tamen non erunt, argum. cap. is, qui, de sentent. excommuni. lib. 6. & Gem. & Fran. vbi supra; & Summa Astensis, 2. par. lib. 7. tit. 9. §. 5. Quæ omnia solum procedunt in excommunicato denunciato non absoluto, etenim non denunciatus in loco sacro sepeliri potest, nec peccatalem sepelies, iuxta constitutionem Conc. Constant. in Extra. *Ad euitanda scandala.* & expresse docent Anchar. Consil. 189. num. 3. Nauar. in Man. ca. 27. num. 36. vers. ad secundum, & tom. 2. cons. conf. 15. de peni. & remiss. Henriquez lib. 13. de excommuni. cap. 1. §. 3. Ioan. Bapt. Antonucius in Cateches. Neap. lib. 5. cap. 14. quem refert, & sequitur Barthol. Vgolin. de cens. Eccles. Tab. 2. capitulo, 9. §. 5. numer. 1.

33 Qui verò excommunicatus denunciatus decessit, etiã si signa contritionis dederit, ante absolutionem in loco sacro sepeliri non debet, in quo casu si ibi sepultus sit ante absolutionem, non est exhumandus, sed absolutio post mortem quamprimum commode fieri poterit ab hætedibus eius ab Ecclesia petenda erit, vt docent glos, in capit. factis, in verbo, Non communicemus de sepult. & in cap. Ad hæc, in verbo, eij ciant, de priuileg. & in c. si Ciuitas, in verbo, sepeliri, de sent. excomm. lib. 6. & Innoc. in cap. vit. de excess. prælat. in fine. Marian. Socin. in c. factis, num. 160. de sent. excomm. Vgolin. loco proxime citato, Sed de his hætenus.

De Beneficijs excommunicato collatis.

Cap. V.

SYMMARIUM.

- 1 Excommunicatio maior inhabilem aliquem reddit ad beneficium acquirendum.
- 2 Beneficium quis sine communione hominum adipisci non potest.
- 3 Beneficium existenti in irregularitate conferri valide nequit.
- 4 Excommunicatus siue a iure, siue ab homine, beneficium obtinere non potest.
- 5 Beneficium collatum ab Episcopo excommunicante excommunicato non prodest.
- 6 Excommunicato beneficij collatio facta vel Motu proprio, vel ad partis instantiam, est nulla.
- 7 Beneficij collatio facta excommunicato non valet, etiã si postea secuta sit legitima absolutio, ab excommunicatione.
- 8 Beneficij collatio facta excommunicato est nulla, & irrita, etiã si excommunicatus ignoraret se excommunicatum esse.
- 9 Excommunicato beneficij collatio facta non valet, etiã si

tempore collationis non sit denunciatus.

- 10 Beneficij collatio facta excommunicato non valet, etiã si facta sit excommunicato iniuste.
- 11 Beneficij acceptatio per excommunicationem facta valet.
- 12 Beneficij impetratio per excommunicationem facta est nulla & inutilis.
- 13 Clausula hæc (Teque a quibusuis, &c.) & absolutio, in quibus casibus non valet.
- 14 Beneficij permutatio inter excommunicatos, vel alterum illorum facta, non valet.
- 15 Pensionis concessio super beneficio Ecclesiastico facta excommunicato non valet.
- 16 Electio excommunicati facta a quocunque inferiori a Papa ad beneficium, nulla, & irrita est.
- 17 Postulari ad beneficium excommunicatus non potest.
- 18 Nominatio excommunicati ad beneficium non valet.
- 19 Presentatio excommunicati ad beneficium non valet.
- 20 Beneficium etiam in Commendam excommunicato dari non potest.
- 21 Beneficia collata tempore excommunicationis, vel suspensionis, nec in foro conscientie, nec de iure postiuo retinere quis potest.
- 22 Episcopus, quibus in casibus dispensare nequeat, vt excommunicatus beneficium retineat.
- 23 Beneficij collatio si ad alium, quam ad Episcopum pertinet, & facta sit excommunicato, ultra dispensationem Episcopi, vt valida sit, necessarius est vobus collatoris consensus.
- 24 Excommunicatus pendente excommunicatione beneficij fructibus priuatur; & quæ huius ratio sit.
- 25 Excommunicatus iniuste, fructus omnes absolutus recuperat, quos excommunicationis tempore amisit.
- 26 Patrimonij fructus alicui pro titulo assignati, per excommunicationem non amittuntur, & quare.
- 27 Excommunicatus pendente excommunicatione, pensionibus, oblationibus, & alijs redditibus qui ob Ecclesia emphyteusim præstantur, nec non quotidianis distributionibus priuatur.
- 28 Excommunicatione durante, alter Ecclesie, & beneficij curam gerere debet, cum assignatione stipendij competentis.
- 29 Excommunicatus iniuste, sed penitens factus, si per eum non stet, quo minus absoluitur, in foro conscientie, & pia matris Ecclesie voluntate fructus facit suos, secus in foro exteriori.
- 30 Excommunicatus priuatur beneficij fructibus, etsi hoc in sententia non sit expressum.
- 31 Excommunicato, sicut hominum communio, ita etiam administratio temporalis honorum Ecclesie, & beneficij interdicuntur.
- 32 Excommunicatus administrando bona temporalia beneficij peccat, valet tamen administratio.
- 33 Excommunicato beneficium scienter conferens, peccat, & a collatione eius beneficij suspenditur.
- 34 Beneficium excommunicato ignoranter conferens, illud scienter conferre præsumitur, & quare.
- 35 Excommunicatus non solum beneficij sed etiam cuiuscumque alterius dignitatis Ecclesiasticæ, incapax est.
- 36 Excommunicatus non solum dignitatis Ecclesiasticæ, Regularis, vel secularis, sed etiam laicalis est incapax.
- 37 Excommunicatus, dignitatem laicalem, & dominium ex testamento, vel ab intestato, non obstante tali censurâ, consequi potest.
- 38 Excommunicatus in Iudicem ad tempus dari non potest.